

bus detractas. Non enim duas aquilas in insignibus imperatores gerunt, sed unam divisam in duo capita : ejus rei causa illa est, quod imperium esset inter duos principes divisum, quarum alter in Occidente, alter in Oriente, sedem habebat. Quod præter alios scriptores, ipse etiam Illyricus probat cent. 9. cap. 46. col. 621. Denique non recte colligit Illyricus, Germanos jus adeptos in imperium Romanum, quia duas aquilas Romanis eripuerunt, nam si ita liceret colligere, multo justius sibi Carthaginenses, Parthi, Persæ, aliæque gentes Romanum imperium vendicarent, quam Germani. Siquidem Annibal Carthaginensium imperator, non duas aquilas ex insidiis rapuit, sed ad Ticinum primo, deinde ad Trebiam, tertio ad Trasimenum, quarto ad Cannas, totos consulares exercitus fudit, idque tanta Romanæ nobilitatis strage, ut ex postrema hac victoria, duos modios annulorum aureorum Carthaginem miserit, cujus rei, ut omitam cæteros, testis est Lucius Florus lib. II. Parthi postmodum, Orode rege, eodem Floro teste, lib. III. cap. 41. cum Crasso Romam imperatore congressi, undecim legionibus Romanorum deletis, signis quoque et aquilis ereptis, et ipso imperatore occiso, victoriam de Romanis maximam retulerunt. Sapores vero Persarum rex, non exercitum solum Romanorum profligavit, sed etiam Romanum principem Valerianum vi cepit, eumque ad extremam usque senectutem, ignominiosissimam servitute servire coegit, ut scribit Eutropius lib. VI. Orosius lib. XII. aliique permulti ; nec tamen unquam vel Annibal, vel Orodes, vel Sapores Romanorum se imperatores appellarunt. Verum ne Arminius quidem id nomen sibi usurpare auderet, nisi jam tandem post mille quingentos annos eum purpura et diademate vel invitum ornare decrevisset Illyricus.

III. — Veniamus ad 3. Illyrici argumentum, quod ex verbo Dei, admirabili artificio scilicet, contextitur. Regna, atque imperia, inquit Illyricus pag. 2. 3. 4. et 5, non sacrificorum cæremoniis, sed gladio, ac jure belli Deus transferre solet. Testatur id Deus illa nobili monarchiarum pictura divinitus Danieli monstrata, Daniel II. et IV. Idem perpetua experientia confirmat. Sic Nembrotus, Ninus, Semiramis, et alii facti sunt robusti venatores coram Deo. Sic jure, ac vi belli, aut gladii, imperium transivit a Babyloniis ad Persas, a Persis ad Macedonas, a Mace-

donibus ad Romanos, et a Romanis ad Germanos. Hanc rationem transferendi regna, ac dominia declarat Deus Hierem. XXVII. et Isaia XLV. Hac igitur divinitus ordinata via, Germanica natio longe amplissima et robustissima, Occidentale imperium occupavit. Hæc ille. Hic ego primum quæro, an Deus plerumque solum, an vero omnino semper regna transferre soleat vi gladii. Si enim plerumque, non autem semper, dixeris, jam argumentum per se concidet. Non enim recte colliges : Plerumque, regna transferuntur vi gladii : igitur regni Romani translatio a Græcis ad Francos vi gladii facta est, quod enim plerumque fit, potest etiam aliquando non fieri. Sin autem, semper omnino, responderis, falsum assumes. Nam translatio reipubl. Hebræorum a Judicium potestate ad regiam gubernationem, et rursum translatio ejusdem imperii a Saule ad Davidem ; ac deinde a Joramo et Jehu, prophetica unctione, non vi gladii facta est ; I Reg. IX. et XVI. et IV Reg. IX. tametsi enim bellum fuerit Davidi cum Isboset filio Saulis, tamen sine bello regnum obtinuerat super domum Juda. Jehu vero etsi regem Joram, et Jezabel reginam, et stirpem omnem regiam interfecit ; id tamen non bellum fuit, sed ultio divina : nec enim ullus restitit Jehu, aut cum eo more belli pugnavit. Viderit igitur Illyricus, an sit falsum et contra Dei verbum, quod ipse confidenter asseruit, Deum non cæremoniis sacrifici, sed jure ac vi belli regna transferre. Deinde translatio maximæ partis regni Hebræorum a Roboam ad Hieroboam sine bello facta est III Reg. XII. Translationem ejusdem regni post Babylonicam captivitatem a domo Juda ad domum Levi, hoc est, a ducibus ad sacerdotes, certe non bellum, sed populi consensus fecit. Translationem alterius partis Romani principatus ab Urbe Roma ad Constantinopolitanam civitatem, ex qua factum est postea ut Græci aliquando Romanis imperarent, nonne sine gladio sola Constantini voluntas effecit ? Translatio regni Francorum a Merovingis (ut historici loquuntur) ad Carolingos, nonne Pontificis auctoritate, et procerum consensu sine armis facta est ? Denique, ut alia multa præteream, translatio imperii Roman. a Francis ad Saxones, nonne cum incredibili omnium pace et tranquillitate, sine ullius sanguine facta est ? Non igitur est verum quod Illyricus ait, perpetuam experientiam testari, regna atque imperia vi gladii solere transferri.

Sed rursus ab Illyrico quæro, utrum Nembrotum, Ninum, Semiramidem, Nabuchodonosor, Cyrum, Alexandrum, Julium, quorum similem videri voluit Carolum Magnum, jure, an injuria, regna occupasse velit ? Si enim injuria responderit ; injuriam faciet Carolo, et qui ei successerunt, Germanis omnibus imperatoribus, cum titulum justissimum, quem nos historicorum omnium testimonio imperatores nostros habere defendimus, ipse illis detrahat, et pro eo latrocinium, tyrannidemque substituat. Sin autem jure, dixerit, quod ejus verba satis aperte indicare videntur, tum sine dubio cum verbo Dei, et ipsa ratione pugnet. Nam etsi Deus sit, qui ut Scripturæ loquuntur, transfert regna, atque imperia, quique Nabuchodonosor, et Cyro, aliisque monarchis, regna maxima attribuit, non tamen propterea illi juste regna aliena invadebant, et igni, ac ferro omnia devastantes, viam sibi ad summam potentiam, et gloriam patefaciebant.

Certe de his monarchis S. Augustinus ita scripsit lib. IV. de Civitate Dei cap. 6 : « Inferre bella finitimis, et inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate contere, et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est ? Neque huic sententiæ testimonia illa repugnant, quæ Deum auctorem translationis, ac mutationis regnorum faciunt. Deus enim utitur mala voluntate (quam tamen ipse non fecit) aliquorum hominum, ad aliorum peccata puniendâ : et sic interdum admirabili ratione providentiæ suæ quibusdam regna adimit, quibusdam largitur, ut et qui regno cadit, justissime cadat, nec tamen juste possideat, qui regnum invadit. Ac longe alia ratione Deus provinciam Palæstinæ filiis Israel possidendam tradidit, quam illam eandem vel Salmanasar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. Siquidem filii Israel duce Josue laudabili obedientia cum Palæstinis pugnant ; illisque ad internecionem deletis, terras eorum sibi vindicabant. Salmanasar et Nabuchodonosor detestabili sacrilegio Dei populum captivum ducebant, nec imperio Dei, sed pravæ suæ cupiditati obsequabantur tametsi Deus ipsis etiam ignorantibus et nolentibus utebatur ad id quod justissime fieri ipse volebat. Explicant hanc rem accurate S. Augustinus lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. et 21. et Hugo de sancto Victore lib. I. de Sacramentis part. 5. cap. 29. Sed nobis unum Scripturæ testimonium

hoc loco satisfaciet. Isaia X. sic loquitur Dominus ad regem Assyriorum : « Væ Assur ; virga furoris mei, et baculus ipse est. In manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum ; dicit enim : Numquid non principes mei simul reges sunt ? » Et infra : « Erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus ; dixit enim : In fortitudine manus meæ feci etc. » Hoc enim loco aperte videmus, missum fuisse a Deo regem Assyriorum ad occupandam et diripiendam provinciam Hebræorum, quod ita essent eorum peccata promerita, ipsum tamen regem Assyriorum non eo animo, profectum, ut tamquam Dei minister peccata puniret, sed ut per aliorum cladem et subjectionem ipse cresceret, et semper longius latiusque regnaret. Quare nec ita missum fuisse intelligere debemus, quasi præceptum habuerit, ubi obedientia laudaretur ; sed quia permisit Deus ut cupiditatem suam expleret in eum populum, qui tali vexatione dignus erat, puniendus etiam ipse postea, quod alienam provinciam nullo jure sibi vindicasset. Quod etiam hoc tempore de Turcarum imperio dici posse, nemo piorum et prudentium Christianorum dubitat. Quis enim ambigere potest, quin divina providentia, quæ transfert regna atque imperia, factum sit, ut ad nostra puniendâ peccata, rex Turcarum Græcis provincias universas ; et nuper etiam Rhodum, Chium, Cyprum, et magnam Pannoniæ partem Latinis eriperet ? et contra tamen nemo nisi Turca, aut Turcarum amicus negabit, quin per summam injustitiam Othomannus alienas provincias occuparit. Hæc ego paulo fusius tractavi, quod Illyricus ita loquatur de hac re ambigue, ut verissima latrocinia pallio Providentiæ divinæ tegere, et principes ad aliena regna occupanda exhortari voluisse videatur. Sed de hoc tertio argumento satis diximus. Sequitur quartum.

IV. — « Imperialem (inquit Illyricus pag. 44. et 45.) dignitatem inde habuit (Carolus) quo, sicut Theodoricus primus Gothicus rex fuit

adoptatus a Zenone imperatore, accepitque dono Romam et Italiam una cum suis successoribus, ac insuper ea dignitate Odoacrem exiit: ita porro Longobardi, comprobante et iuvante Constantinopolitano imperatore, eadem gloria, jure, et possessione exuerunt Gothos, ac denique reges Longobardicos Francici reges, praesertim vero Carolus Magnus, vicit, et dignitate possessioneque Occidentalis imperii super Roma ac Italia exiit; ipseque eo jure belli potitus est. Quare etiam mox Romani post victos Longobardos illi jurarunt, quod factum est amplius 20. annis ante illam actionem sub Leone Papa (ut isti aiunt) factam, per quam papistae dicunt esse translatum imperium ad Francos. Hæc ille. Hujus argumenti tot mihi videntur esse mendacia, quot sunt sententiae. Principio non exuerunt Longobardi Gothos possessione Italiae, sed Graeci imperatoris duces Belisarius et Narses, ut Procopius, Agathius, Jornandes, Leonardus Aretinus, Paulus Diaconus, et alii omnes testantur, qui de bellis Gothorum et Longobardorum scripserunt. Tantum vero abest ut imperatore comprobante et iuvante Longobardi Italiam occupaverint, ut potius cum ipso imperatore, et ejus exarchis longo tempore de Italiae possessione pugnaverint, ut ex libris Pauli Diaconi de rebus gestis Longobardorum, et ex aliis historicis cognosci potest. Quid quod Paulus Diaconus in vita Justiniani senioris scribit, Longobardos in Italiam a Narsete invitatos fuisse, ut imperatorem ejus provinciae possessione spoliarent? Quemadmodum autem Franci potuerunt Longobardis Urbem Romam eripere, quam illi numquam possederunt? Siquidem ex historiis omnibus illius temporis constat, Longobardos, etsi magna Italiae parte potirentur, numquam tamen Urbem Romam, aut provincias Italiae, Campaniam, Apuliam, et Calabriam, Graecis imperatoribus adimere potuisse. En igitur quanta fide sit dignus Illyricus, qui novas historias, repugnantibus historicis omnibus, comminiscitur.

Porro cives Romani, exactis Italia Longobardis, si Carolo Magno jurarunt (nec enim ejusmodi jusjurandum apud ideneos auctores invenio) non ut principi, aut domino, sed ut patritio, et defensori jurarunt. Adrianus enim Pontifex cum fidei opera Caroli Magni usus esset in expellendis Longobardis, qui perpetuis excursionibus ditionem Romanam infestabant, patritium eum Romanorum, et defensorem appellavit, ut Gratianus scribit dist.

63. canon. Adrianus, et canon. in Synodo. Neque de ea re dubitari potest: cum et Adrianus papa in epistola ad Tarasium Episcopum Constantinopolitanum, Carolum Francorum, et Longobardorum ducem, patritiumque Romanorum appellet, et ipse se eisdem nominibus in diplomatibus suis appellare consueverit.

V.—Restat argumentum postremum, quod Illyricus ex quatuor testimoniis textit. Primo loco pag. 45. testimonium petit ab Hermanno comite Novae aquilae, qui libellum de Francorum origine et sedibus ad Carolum quintum scripsit, cujus auctoris verba, ut etiam quaedam alia aliorum, Illyricus aliquoties repetit, et tanta prolixitate, ut plane metuere libro suo videretur, si paulo tenior appareret. Deinde pag. 57. addit testimonium Andreae Alciati, nobilis jureconsulti, et pag. 58. et 59. adjungit his Gothfridum Viterbiensem, ac Blondum Flavium pag. 60. Quid igitur hæc testimonia valeant, breviter expendamus.

Hermannum comitem, et Alciatum, quod nostro saeculo vixerint, non cogimur magni facere: praesertim cum eis plurimos auctores, eosque antiquissimos et integerrimos objicere possimus. Videtur tamen Hermannus, ut etiam Fridericus imperator, quem ipse citat, non tam de jure ac titulo imperatoris, quam de possessione imperii loqui; qua in re ab eo non dissentimus. Nec enim affirmamus Leonem Pontificem armis imperium de manu Graecorum eripuisse, ac deinde sic partum et acquisitum Carolo donavisse; sed jus ipsum, quod Graecus imperator in provincias Occidentalis imperii habebat, nec non titulos, honores, ac dignitates Augustorum, a Leone Pontifice Carolo impertitas asserimus. Qua communicatione factum est, ut Carolus, et ea quae jam bello sibi pepereerat, justo titulo, ut legitimus imperator consideret; et jus item haberet ad ea recuperanda, quae Romani imperatoris ante fuissent. Itaque non pugnat quod Hermannus scribit, Francorum sanguine partum imperium, cum eo, quod historici veteres summo consensu tradunt, imperium a Graecis ad Francos Pontificis auctoritate translatum, si ille de possessione, isti de jure locuti esse intelligantur. Quod quidem tam perspicue etiam Alciatus scribit, ut mirari satis non possim, cur hunc auctorem in sententiam suam Illyricus pertrahere voluerit. Hæc enim sunt Alciati verba, quae Illyricus producit

pag. 57: « Igitur, inquit, Carolus Maximi hac expeditione apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cum arma per Germaniam omnem, Pannoniasque circumtulisset, et non Italiam tantum, sed et Illyrici aliquas regiones Graeco eripisset, ut justum aliquem titulum adepto imperio pretendere posset, caesarem se, et Rom. imperatorem a Pontifice, populoque Romano designari procuravit ». Audisne, Illyrice, quid tuus Alciatus dicat? justum titulum accepisse dicit Carolum a Pontifice populoque Romano. Si autem justum titulum dare, nihil tibi esse videtur, cur paulo ante dicebas, Italiam a Zenone imperatore Theodorico regi fuisse donatam? Neque enim Italiam a se expugnatam Zeno tradit Theodorico, sed jus dumtaxat expugnandi, et occupandi dedit. Quare quemadmodum (te auctore) Zeno Italiam Theodorico vere donavit, cum jus ad eam tribuit, quam ille tamen suo labore, et Gothorum sanguine sibi paravit, ita nos patiaris cum tot supra citatis auctoribus dicere, Occidentale imperium a Pontifice Leone Carolo regi vere esse donatum, cum justum titulum tribuerit, licet possessio armis quaerenda et retinenda fuerit. Unum tamen hoc loco non est praetereundum, quod Alciatus scribit, a Carolo imperium procuratum, non modo sine certo auctore, sed etiam repugnantibus plerisque veteribus auctoribus scribi. Eginarthus enim, Caroli Cancellarius, Conradus Abbas Urspergensis, Albertus Krantzius, et Joannes Cuspinianus, quos cap. 2. mendacio 15. supra citavimus, testantur Carolo nihil tale speranti, vel etiam recusanti, imperium a Pontifice esse delatum; quibus certe auctoribus quin major fides quam uni Alciato habenda sit dubium esse nemini potest.

Sequitur testimonium Gothfridi Viterbiensis, et Blondi Flavii. Sic igitur Gothfridus: « Carolus, ut fungi statuit diademate mundi, Pontificis Summi manibus decrevit inangi ». Blondus vero: « Otho pater, inquit, filium Othonem, re in Saracenos, Graecosque benedicta, reversum, consortem imperii adscivit, voluitque imperatorem a Romano populo ex prisca consuetudine acclamari, quem Pontifex inunctum imperiali diademate insignivit ». Ex his testimoniis colligit Illyricus, nihil omnino Pontificem imperatori conferre, nisi theatralem et pompaticam caeremoniam, eamque non arbitrato suo, sed principis jussu, vel nutu. At id non recte colligi, facile

ex his quae diximus demonstrabitur. Non enim Carolus ita fungi statuit (ut Gothfridus loquitur) mundi diademate, ut illud sibi, nullo dante, per se arripere ac vindicare voluerit; id enim nec ab ullo antiquo scriptore asseritur, et multis aperte repugnat. Nec scriptoribus modo, sed etiam moribus et pietati Caroli Magni repugnare videtur. Itaque non ante Carolus imperium sibi assumendum statuit, quam illud sibi a Pontifice Maximo offerri vidit, tum vero etsi initio recusaret, ut veteres auctores scribunt, tandem tamen assensus est, et (ut Gothfridus dicit) tum demum statuit diadema caesareum, et unctionem imperialem, de manibus Summi Pontificis accipere.

Eadem est fere Blondi sententia de imperio secundi Othonis: Adscitum enim illum dicit a patre ad consortium imperii; sed non negat id Pontifice consentiente factum esse, et quod Blondus non negat, quamvis nec asserat. Asserit Vitichindus, qui Othonis aequalis fuit, nam lib. III. de rebus Saxonice extremo scribit, secundum Othonem jam antea inunctum fuisse regem, et a Beato Apostolico designatum imperatorem. Quapropter Otho senior nullam Pontifici fecit injuriam, si eum in imperii societatem assumpsit, quem ab ipso Pontifice successorem designatum acceperat. Sed jam solutis omnibus Illyrici argumentis, et primo illo titulo profligato, quo potissimum adversarius nitebatur, minus erit in confutandis caeteris laborandum.

CAPUT VIII.

Non accepisse Carolum Magnum a Deo immediate imperii dignitatem.

Alter erat titulus, Dei solius donum. Nam quemadmodum Aaronem in Republica Judaeorum, et Petrum in Ecclesia Christiana non humana electio, sed Dei solius benignitas summos Antistites fecit; et Mosem, Josue, Othonielem, Gedeonem, Saulem imperatores, ac principes solus Deus populo suo dedit: sic etiam fieri potuisset, ut Carolus Magnus sine ulla humana vel ope, vel vi, sive arte, aut industria, solius Dei voluntate ad imperium vocaretur. Sed ejusmodi titulum Carolo Magno non convenire, isti omnes auctores docent, quos cap. 4. 5. et 6. supra citavimus; ac ne ipse quidem Illyricus, si sibi constare velit, id negare potest. Dum enim contendit, Carolum jure